

v agentur, cui malo ut primitus resistatur, examinandi sunt, qui hinc & inde stipem colligendo circumcurstant, utque causam mendicitatis conditionemque suam explicent, cogendi. Si explicant sufficienter, sublevandi: Si non, velut ignavi fuci, qui apibus mel præripiunt, ejiciendi, & à finibus longum propellendi, quod Magistratus est officium, exemplo Florentinorum, qui, referente Sabellico, crebro in hominum vitam moresque inquirebant, & si quem otio indulgentem deprehendebant, tanquam inutile terræ pondus ablegabant & relegabant.

66. Sed fit plerumque, ut hisce quidem moribus & temporibus pessimi optima quæque consequantur, etiam à magnatibus, à quibus tamen temeritas debebat esse vel maximè remotissima.

67. Et verò sit ratione, *tum dantium tum accipientium.*

68. *Dantium*: Hi quia nec judicant nec dijudicant, quibus sua conferant beneficia pro Platonibus in blaterones & gnathones, pro Ciceronibus in bibones & erroneos incidunt. Dolendum quidem, sed tamen condonandum si casu & ἀποπροαιρέτως: Indignandum si προαιρέτως.

69. *Accipientium*: Hi enim vel egregiè suam illam pellem Vulpinam & aures asininas tegere possunt, edocti aliud clausum in pectore, aliud in lingua promptum habere, amicitias inimicitiasque non ex re sed ex commodis æstimare; magisque vultum, quam ingenium bonum habere, ut de suæ ætatis hominibus loquitur Salustius. (c) Hinc non rarò nullo negotio nobilissimis familiis sese ingerunt & insinuant, & omnia velut alter Davus calumniis perturbant, à quib. vel imptimis abhorreere debent illæ, ut sapienter monet Cominaeus. (d)

(c) *In conjurat. Catil. pag. 14.* (d) *lib. 5. de Bello Neapolitano pag. 910.*

70. Vel audacissimi aliàs sunt & perfrixtæ frontis homines, qui nihil non efflagitare, nihil non etiam